

**1992-11-18 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Sacra Illa Paroecialis’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

**SACRA ILLA PAROECIALIS**

TEMPLUM DEI DICATUM IN HONOREM SANCTAE MAGDALENÆ,  
IN ARCHIDIOECESIS OVETENSIS URBE VULGO «CANGAS DEL NARCEA»  
APPELLATA, AD BASILICÆ MINORIS GRADUM EVEHITUR

Ad perpetuam rei memoriam. – Sacra illa paroecialis aedes quae, Sanctæ Mariae Magdalena dicata, in Ovetensis archidioecesis urbe vulgo «Cangas del Narcea» exstat, ob structuræ genus et momentum historicum, at potissimum ob religionis cultum præclara est in tota Asturiae regione. Christifideles illius provinciae sacram Sanctæ Mariae Magdalena imaginem hac in ecclesia collocatam per saeculorum decursum peculiari veneratione prosecuti sunt, caelestium gratiarum copiam precantes sibi suisque. Qua animarum utilitate permotus, Venerabilis Frater Gabinus Diaz Merchan, Archiepiscopus Ovetensis, cleri populi vota et preces interpretatus, petiit ut templum supra memoratum ad dignitatem Basilicæ Minoris eveheretur. Cui petitioni libenti animo obsecundantes, Nos, e Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum consultu deque Apostolicae potestatis Nostræ plenitudine, harum Litterarum vi, statuimus, ut sacra aedes quam diximus, Deo consecrata in honorem Sanctæ Mariae Magdalena, ad titulum ac dignitatem Basilicæ minoris evehatur, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis hoc nomine insignibus rite competunt. Mandamus præterea ut ea serventur quae, secundum Decretum «De titulo Basilicæ Minoris», die IX mensis Novembris, anno MCMLXXXIX datum, servanda sunt. Contrariis quibusvis non obstantibus.

*Datum Romæ, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Novembris, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri quinto decimo.*

ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status*